

REGULÆ.

*An detur re-
thorica Eccle-
siastica, & an
sit necessaria
& utilis?*

I. Rhetorica Ecclesiastica explicat artificium bene con-
cionandi: & proinde valde est necessaria.

Concio sacra non est opus naturale, sed vel acquisitum, vel infusum.
Datur itaque artificium concionandi, quod vel per diuinam inspiratio-
nem, vel per præceptorum institutionem, vel per experientiam ab homi-
ne acquiritur. Ex quo efficitur, dari facultatem aliquam, quæ hoc tale ar-
tificium methodice tradat, certasque regulas præscribat, secundum quas
concio sacra possit componi, haberi & judicari. Vnde porro colligitur
necessitas & utilitas hujus ipsius facultatis. Quemadmodum enim orator
politicus, siue ille in schola versetur, siue in foro, indiget methodo
eloquentiae, siue præceptis & regulis oratoriæ politicae: ita orator Eccle-
siasticus Rhethoricae Ecclesiasticae subsidio, vel præsidio, carere non po-
test. Neque valet, quod obijcitur, concionari esse opus spiritus Sancti, &
Apostolos non fuisse instructos arte Rhetorica, & denique naturam hic
esse satis. Nam quod attinet ad primam objectionem, Spiritus Sanctus
aut immediate dicit ea, quæ pertinent ad concionem sacram, aut
mediate, mediante scilicet nostro studio. Deinde ab extraordinario ad or-
dinarium non valet consequentia. Jam vero habitus concionandi ex-
traordinarie Apostolis, ut & Prophetis, à Deo fuit infusus. Denique na-
tura consideratur vel ordinarie & communiter, vel extraordinarie & he-
roice. Priori modo ars est dux certior quam natura: & naturalis poten-
tia ordinare in actum facile & sine errore traduci non potest, nisi per re-
gulas artis juuetur. Posteriori modo naturæ dona sunt rara: & proinde
non sunt in reglam & consequiam trahenda.

*Tripartitus
finis cuiusvis
concionis.*

II. Tripartitus finis debet esse propositus concionatori:
ut nimirum doceat, delectet, flectat siue moueat.

Nimirum omnes inventionis, dispositionis, elocutionis & actionis
vires huic conuerteret concionator, ut auditores suos solide doceat, Spir-
itualiter delectet, atque acriter flectat. E quibus primum est debitum,
secundum honorarium, tertium necessarium. Primum requirit acu-
men oratoris, secundum lenitatem, tertium vim & acrimoniam. Docen-
do itaque efficiet concionator, ut res sacrae solide intelligantur. *Qui e-
nim dicit, cum docere vult, quādū non intelligitur, nondū se existimet dixi-
se, quod vult ei, quem vult docere.* *Quia et si dixit, quod ipse intelligit, nondū
tamen illi dixisse putandus est, a quo intellectus non est:* ut sunt verba

e Augu.